



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viri Iacobo consobrino & Marescalco nostro.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

voluimus, causam ipsam personis de tuo tantum regno committere, vel sententiam per eosdem in tuo regno formari, hoc ad duplum causam noveris esse provisum, & propter justitiam, quae non patitur ut iudex aut locus parti, maxime quae impetratur, debeat esset suspectus, & propter cautelam, ne propter validam suspicionem talis posset sententia revocari, ut sic & nostrum opprobrium & tuum dispendium vitaremus. Licet autem iidem nuntij tui quod eis obtulimus non duxerint acceptandum, si tamen serenitati tuae, sicut credimus, visum fuerit expedire, id, cum per literas & nuntios tuos requisiti fuerimus, faciemus, cum nil tibi negare velimus quod cum honestate nostra concedere valeamus. Et ut pleniū intelligas nostrae propositum voluntatis, per quod te cupimus expedire, in praesentia nostra coram nuntiis tuis recipemus ab his qui intendi essent a nobis ad hoc negotium exequendum corporaliter juramentum quod ad expediendum illud bona fide, quanto melius possent, procedere non tardarent. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentiū quatenus paternae dilectionis affectum quem circa te habemus intendas, considerans diligenter quod alia forma nobis non occurrat ad praeſens per quam citius hujusmodi possit negotium expediri. Sæpe vero contingit quod nimia festinatio nimiam generat tarditatem, quod in causa matrimonij semel expertus, ne iterum experiaris, evites. Nam si ab initio in ea ordo fuisset iudicarius observatus, hodie forte nullius dubitationis scrupulus remansisset. Vtinam igitur quid liceat, quid expediat, & quid deceat diligenter attendas, & de anima tua sollicitus agas quod divinae complacat voluntati. Ad hoc regiam celsitudinem monemus attentiū & hortamur quatenus predictam Reginam, sicut te decet & ipsam, honorifice facias pertractari, cum si nec tibi copulata fuisset, sed ex aliqua necessitate divertisset ad regnum Francorum, ipsam honorare meritò debuisses, quod ea præsertim debes facere ratione, ne tuae cause processus valeat aliquatenus impediri.

*N O B I L I V I R I J A C O B O  
cōſbrino & Marescalco noſtro.*

*Epiſt. 50.  
De matri-  
nio Regis Si-  
ciliæ cum Ara-  
gonie Regis  
fatore.*

**A**d tuam volumus audientiam pervenire nos carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Aragonum & Reginæ matris ipsius literas & nuntium recepisse

firmiter promittentium quod parati sunt nobilem mulierem fororem Regis ipsius carissimo in Christo filio nostro Friderico illustri Regi Siciliæ copulare. Promittunt autem quod, si opus fuerit, ad liberandum Regem ducentos milites in expensis suis in Regis ejusdem subsidium destinabunt, vel prout venerabiles fratres nostri Archiepiscopi & Episcopi & dilecti filii nobiles viri Comites Regis familiares, ut audivimus, postularunt, & nos posse credimus obtineri, ipfa Regina in persona propria illuc cum quadringentis vel quingentis militibus juxta mandatum nostrum ad Regis defensionem accedet. Verum ne amittant operam & impensam, si causa qualibet matrimonium non fuerit consummatum, cum nec contrahi sponsalia sola possint, sibi petunt pro tantis expensis debita securitate caveri. Postulabant quoque donationem propter nuptias fieri nobili memoratae, ac si Regina eadem, tanquam mater, ad Regem accesserit nutritum, certos sibi redditus assignari, ex quibus sibi & filiae ac Regi possit honorificè providere. Licet autem contractum hujusmodi regno utilem & Regi non solùm nunc, sed etiam in omni pace regnaret, honorabilem reputemus, quia tamen super hoc per nos & dictos familiares jam dudum habitus est tractatus, ad consummationem negotij noluimus sine conscientia eorum procedere, sed honori suo duximus deferendum. Vnde eisdem per apostolica scripta mandavimus ut super hoc tam infra se quam tecum & cum dilecto filio R. tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinale Cassinensi Abbe apostolicae sedis Legato consilium coiuncent, & quod ad consummationem hujus negotij statuerint, nobis significare procurent, idoneos nuntios super prædictis omnibus sufficienter instructos ad sedem apostolicam destinantes; ut cum nuntio nostro, quem propter hoc destinare proponimus, ad Regem & Reginam Aragonum accendant, & sponsalia contrahere non postponant, ceteraque perficiant quae super hoc fuerint consummanda. Ideoque dilcretioni tuae per apostolica scripta mandamus quatenus familiaribus ipsis studeas suadere uti ad hujus negotij consummationem intendant, & tu ipse ad id des operam efficacem. Datum Laterani Non. Iunij.

*In eundem modum familiaribus usque con-  
summada. Datum ut supra.*